

p tale Joannis de Vigo l. 3. c. 5. in quo facultates
vigent adstringendi, refrigerandi, atq; leniendi, ut
unicuiq; ex ingredientium consideratione patere
potest; & ob id tale emplastrum supradictos sco-
pos adimplere fatendum est. Hoc emplastro ma-
ne & vespere totū caput usq; ad collum cooperie-
batur. Qvod vero spectabat ad suspicionem, ne a-
liq; a sangvinis portio intra caput effusi retinere-
tur, ut facilius à natura detrudi posset, infunde-
batur mane & vespere in aures, oleum recens a-
mygdalarū dulcium calidum. Pro sangvine vero
à contusione extra caput effuso, nempe in cute
contento evacuando, transacta die nona appli-
catum fuit emplastrum desiccativum ejusdem
Joannis de Vigo. Qvibus allatis præsidiis ægro-
tanti omnino sanitas restituta fuit. Post qvar-
tam enim diem cœpit loqui. Post septimam cœ-
pit se aliquantis per movere. In undecima vero
oculos apertos tenebat, & universum caput, ac
facies jam paulatim detumescebant. Indies igi-
tur melius se habebat. Ac tandem circa trigesi-
mam qvintam diem, vel paulo post fere liber e-
vasit. Qvod verò maximo, & omnipotenti acce-
ptum referendum est. Ex qvo casu (fili mi) intel-
ligere possumus nunquam desistendum esse à
rationabili curatione, nec vulneratos absq; ve ra-
tionabilibus auxiliis unq; am derelinqvendos;
qvia etiam desperati interdum sanantur. Fatendū
qvoq; est, in qualibet capitis contusione statim
ad cutis incisionem, atq; ve ossis perforationem
devenire, neq; tutum, neq; rationabile esse.

Iiii 4

Qvia